

Heinrich Daniel Bender

**Specimen Catenæ Typicæ : In qua solide demonstratur Totam Historiam Vet.
Testamenti uno continuoque nexu prophetice præfigurare Doctrinam Novi
Testamenti, Ecclesiæque Fata**

Francofurti: Hanoviæ: Apud Fridericum Knochium: Typis Aubryanis, 1708

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86945045X>


Druck Freier  Zugang





Fa - 1092 (115)





SPECIMEN
CATENÆ TYPICÆ,

In qua

solidè demonstratur

Totam Historiam Vet. Testa-
menti uno continuoque nexu
propheticè præfigurare

Doctrinam Novi Testamenti,

ECCLESIAEQUE FATA,

AUTORE

HENR: DANIELE BENDERO,
V.D.M. Hochstadiano-Hanovico.

✠) ○ (✠

FRANCOFURTI,

Apud FRIDERICUM KNOCHIUM.

HANOVIAE,

TYPIS AUBRYANIS.

1708.

12.

Augustinus L. 12. Confess. c. 31. *Cum alius
dixerit, hoc sentit Moyses quod ego: & alius,
imò illud quod ego: & alius, imò illud quod ego:
religiosius me arbitror dicere; cur non utrumque
potius, si utrumque verum est? & si quid ter-
tium, & si quid quartum &c. Et paulò post,
sensit ille omninò in his verbis atque cogitavit,
cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus in-
venire, aut nondum possumus, & tamen in eis
inveniri potest. Et Lib. 3. de doctr. Christ. c. 27.
Quid in divinis eloquiis largius & uberius potuit
divinitus provideri, quam ut eadem verba plu-
ribus intelligentur modis, quos alia non minus di-
vina contestantia faciant approbari.*

P R Æ F A T I O.

Historias quasdam Veteris Testamenti allegoricas esse, h. e. ex intentione Spiritûs Sancti depingere seu præfigurare mysteria Novi Testamenti, nemo est, qui dubitat, affirmante illud teste omni exceptione majore Apostolo. Gal. 4, 24. & proferente ejus rei exempla, applicando talibus mysteriis historiam *Sara & Hagaris*, *Isaaci & Ismaelis* ibid: v. 22 ad 31. nec non *Melchisedeci* Heb. 5 & 7. quo pertinent historiæ de *serpente aeneo* Joh. 3, 13. de *baptismo nubis & maris*, de *cibo & potu Israelitarum* 1. Cor. 10, 1. 2. 3. 4. &c. de *arca & baptismo*. 1. Pet. 3, 21. &c. multæque fortè aliæ.

Omnes autem historias Vet. Test. eo modo allegoricas esse, adhuc dubitatur, idque

1. Quia, licet quædam analogia posset deprehendi, tamen videtur nos de intentione Spir. Sancti non posse esse certos, nisi ipse indicet, quid in specie per hanc, vel illam historiam voluerit depingere.

2. Quia, Spiritu S. hoc non indicante, variæ possunt fieri explicationes & applicationes allegoricæ toto cælo inter se diversæ, & ita verendum, ne ex S. Scriptura, quod dici solet, fiat nasus cereus, eaque profanetur & adversariorum exponatur cavillationibus & ludibrio.

3. Quia talibus allegoriis nulla existimatur inesse vis probandi, juxta regulam: *Theologia symbolica non est argumentativa.*

4. Quia indulgendo genio humano, in ejusmodi allegoriis fingendis, facile possemus in errores & falsa dogmata delabi, quod olim Origeni vitio datum, cui objectum, quod *ingenii sui acumina velut esse Ecclesia Sacramenta.*

His atque forte aliis minoris momenti rationibus quidam moti potius ab omnibus allegoriis abstinendum esse judicarunt.

A

At-

2 (2)
Arctamen, quod pace eorum dixerim, istis rationibus, & quæ metuuntur, periculis, obviam it accuratior tum *Autoris* S. *Scripturæ*, tum ipsius *Scripturæ* inspectio atque meditatio.

Autoris, quia Ipse infinitæ & perfectissimæ est sapientiæ, cujus voluptas est istiusmodi allegoriis, similitudinibus, parabolis, typis, figuris, emblematis &c. quibus omnes sapientes omni ævo fuerunt delectati & insigniter usi, ludere, suaque mysteria his quasi involucris recondere, ut hominum industria eruantur atque evolvantur. Prov. 8, 22-31. Ps. 51, 8. Matth. c. 13, 34. 35. &c.

S. *Scripturæ*, quia refertissima est ejusmodi allegoriis, similitudinibus, ænigmatibus, hieroglyphicis, præsertim typis & figuris ceremonialibus, quorum antitypa partim sunt expressè indicata, partim hominum industriæ relicta. Dan. 12, 49. Apoc. 13, 17. 18.

Ex ista *Autoris* & operis consideratione duo nunc formo *argumenta*, ex quibus ad superiores rationes dabitur sufficiens *responsio*.

Primum ab *Autore*: In confesso liquidem est, Spiritum S. per historias Veteris Testamenti voluisse mysteria Novi Testamenti repræsentare seu depingere. Hoc si voluit, uti revera voluit, fecit id perfectissimo atque sapientissimo modo. Quia qualis artifex, tale est opus. Spiritus S. jam, cum sit artifex omnium sapientissimus & perfectissimus, fecerit hoc oportet modo quoque perfectissimo atque sapientissimo.

Hoc præmisso sequitur porrò:

1. Non tantum aliquas, sed omnes historias à capite ad calcem, potius unam solidam atque continuam esse figuram seu imaginem mysteriorum Novi Testamenti, quam interruptas, non coherentes, partiales, inordinatas, confusas, cum admixtione multarum vocum atque rerum, ad ea mysteria minimè pertinentium, scopas, ut ajunt, dissolutas.

2. Dari ordinem sapientissimum & methodum convenien-

nientissimam inter omnes istius solidæ imaginis partes, & res figuratas.

3. Inveniri in S. Scriptura clavem, qua pateat in omnium istorum mysteriorum conclavia aditus. Scripsit enim sapientissimus & optimus Autor hominibus, ut quærant & inventant. Matth. 7, 7. Joh. 5, 39.

Secundum *argumentum*, desumptum à consideratione ipsius S. *Scripturæ*, priori respon det. Nam

1. Ipsa Scriptura Christum appellat *corpus*, figuras vero *umbram*. Illum *antitypum*, has *typos*. Atqui *umbra* est totum corpus cum omnibus membris repræsentare, *typi* omnes partes antitypi exprimere. Si igitur historiarum etiam figurarum & typi sunt, ut supra vidimus, aut per se ipsas, aut cum cæteris figuris & typis conjunctas integram umbram, typum aut imaginem constituere, quæ totum corpus adumbret & exhibeat.

2. Nec tantum ex eo sequitur iste partium omnium numerus, sed etiam ordo, proportio & harmonica earum dispositio, quemadmodum in umbra corporis conspiciuntur omnia ejus membra in naturali suo ordine, & in sigillo expressa annuli seu typi figura.

3. Clavis etiam cognitionis meminit S. Scriptura, & hominibus imperat, ut scrutentur spiritualia in corporalibus, cum promissione sancta: Quicumque quæserit, inveniet.

Non igitur dubium esse videtur, omnes historias Veteris Testamenti esse cum typis & figuris cæremonialibus unam solidam atque perpetuam convenientissimo ordine connexam mysteriorum N. T. figuram, & hoc posse sancta hominum industria perspicere & aliis demonstrari.

Omniem autem dubitationem superare debet, si ejusmodi præfigurationem continuam & methodicam detur oculis cernere, quæ certè casui potius, quam consilio Dei, non sine minori impietate tribui posset, quam mundi ex atomis confusus.

Dices: *Si detur.* Atqui in eo jam sum, ut ejusmodi ordinatam compagem atque integrum systema typicum oculis tuis, Amicissime Lector, exhibeam, atque tecum communice-
m. Non equidem tale, quod omnibus numeris sit absolute-
rum, sed quod aliis doctioribus tibi que ipsi, occasionem dabit
& ansam, illud expoliendi, corrigendi & amicâ collatione ad
majorem ecclesiæ usum accommodandi.

Non sine directione Divina mihi videor in istas cogita-
tiones incidisse, adeò, ut mihi temperare non possim, cum jam
multos annos in hoc studio consumserim, ut ex omnibus hi-
storiis V. T. volumen sat magnum conscripserim, quin Eccle-
siæ, ad majorem Dei gloriam, eo prodesse studeam.

Sed antequam plura de hoc meo conatu dicam, ad ob-
jectiones supra positas, erit respondendum.

1. Dices, de intentione Spiritûs Sancti nos non posse esse
certos, nisi ipse indicet, quid per hanc vel illam historiam vo-
luerit præfigurare.

ꝛ. 1. Indicat in genere, Christum & ecclesiam esse cor-
pus umbra præfiguratum. Hoc igitur corpus omnibus umbræ
partibus voluit depingere. 2. Plurimas partes in specie vide-
bimus esse indicatas, si non omnes. 3. Ex indicatis non indi-
catæ facili negotio S. Scripturæ ductu possunt inveniri. Non
secus ac vestigia in nive totam viam facile præmonstrant. 4.
Clavem dedit, cujus ope obserata referantur. 5. Perfectus pi-
ctor non opus habet adscribere, an equum, an leonem, an ho-
minem voluerit depingere. Satis hoc apparet, si datur perfe-
cta similitudo inter imaginem & animal, quod depingere vo-
luit, idque quoad omnes partes ordine delineatas.

Dices 2. Variæ possunt fieri applicationes allegoricæ, toto
cælo diversæ, ea quo S. Scriptura fieret nasus &c. absit blas-
phemia verbo.

ꝛ. Hoc sanè metuendum, si ex textu S. Scripturæ par-
ticulæ quædam hinc inde decerpantur, & sine ulla connexionem
atque

atque ordine ab antecedentibus & consequentibus avulsa, in-
 star scoparum dissolutarum, tractantur. Concedo enim ita
 modo huic, modo isti rei applicari posse. Sic, ut iterum pi-
 cturæ simili utar, si unicum membrum leonis depictum ha-
 beas, non faciliè videbis, an leonis, aut ursi, aut alterius cu-
 jusdam animalis membri figura sit. Si verò totam imaginem
 coram oculis habeas, faciliè erit discernere, non ursum, sed
 leonem repræsentari. Nos hic videbimus integras imagines,
 quæ ipsæ loquuntur, quibus rebus convenient. Adeò ut iste
 S. Scripturæ abusus nobis non sit metuendus. Posse enim isto
 modo in omni sua connexionione atque ordine alii rei, quam
 Christo, & Ecclesiæ suæ, accommodari, nulli concessero. 2.
 Idem posset objici contra figuras, à Spiritu S. indicatas. Quip-
 pe, si aliæ historiæ diversis rebus possunt accommodari, pote-
 runt eodem modo historiæ Hagaris & Saræ, Melchisedeci &c.
 quod tamen secundum regulas justas fieri non posse, certus
 sum, de quibus regulis postea.

Dices 3. Talibus allegoriis nullam inesse vim probandi.

ꝛ. 1. Concedo de allegoriis partialibus à contextu re-
 liquo avulsis. Nego de allegoriis ritè demonstratis, quales
 erant Apostoli de *Hagare & Sarah*, ex quibus infert legis & cæ-
 remoniarum abrogationem, & *Melchisedeci*, ex qua probat Sa-
 cerdotium Christi æternum. 2. Si non faciunt ad probanda
 nova fidei dogmata, faciunt tamen ad confirmanda & illu-
 stranda antiqua, nec minus ad usus practicos, ad ædificatio-
 nem ecclesiæ in pietate, ad sanctam delectationem & sapien-
 tiæ Divinæ admirationem & venerationem. Quo fine multæ
 parabolæ & similitudines, non modo à multis sapientibus
 quovis ævo, sed & ab ipso Christo suo tempore, fuerunt uti-
 lissimè adhibitæ.

Dices: 4. Ex allegoriis errores & falsa dogmata possunt
 inferri.

ꝛ. Nego illud iterum de allegoriis secundum bonas re-

A 3 regulas

gulas ex S. Scriptura deductas, quæ secundum omnes partes cum mysterio seu dogmatibus fidei debent convenire, alias allegoriae veræ, seu imagines rerum spiritualium esse non possunt.

Sunt denique, qui sibi imaginantur (quod nunquam tentarunt) & dicere audent: Ex Virgilio aut alio aliquo autore profano etiam ejusmodi allusiones & allegorias fingi posse. Imò videmus à Viris doctis allegorias profano-sacras conscriptas esse. Ex quo videtur confici posse, quod nihil certi ex ejusmodi allegoriis haberi possit.

Posse quidem reperiri convenientiam aliqualem inter historias nonnullas profanas & inter res spirituales N. T. at nequaquam totalem, ipsamque adeo naturam internam & rationem formalem mysteriorum, cum suis propriis attributis, accidentibus & circumstantiis depingentem. Uti potest quidem in simulachro urfi esse aliqua convenientia cum leone. Habet enim uterque caput, pedes, aures, oculos, &c. Sed tale tamen caput, tales pedes, aures & oculos, quales ursus habet, leo non habet. Si autem sustineas: Posse historiam in profanis inveniri, quæ ad eò completè & scitè Christum depingat, uti historia Melchisedeci, aut ecclesiam veteris & novi testamenti, uti id facit historia Hagaris & Saræ, stabit promissis, aut blasphemix notam non effugies.

Ut autem eò magis allegoriae genuinae à spuris discernantur, ex perfectione S. Scripturae ejusque Autoris regulæ erunt ponendæ, juxta quas erunt examinandæ.

Requirit ista perfectio & summa Sapiencia Autoris S. Scripturae, ut, quoniam voluit historiis sacris res sacras depingere & adumbrare, illud fecerit perfectissimo atque sapientissimo modo. Ex quo conficitur, quemadmodum S. Scriptura sui ipsius interpres est ad inveniendum sensum literalem proprium; ita quoque sui interpretem eam esse ad inveniendum sensum mysticum, qui etiam literalis dicitur, si de intentione auctoris fiamus certi.

Pro-

Prout igitur legitimè procedimus ad indagandum sensum literalem proprium, ita etiam procedendum ad indagandum sensum literalem typicum. Et quemadmodum certi possumus fieri de sensu literali proprio, ita quoque certi possumus fieri de sensu literali figurato. Fit autem hoc regulis ferè tribus vel quatuor:

Reg: 1. Attentè videndum, quo sensu hoc vel illud vocabulum, hæc vel illa phrasis in S. Scriptura usurpetur, quisque sensus ex omnium & singularum conjunctione emergat.

Reg: 2. An iste sensus cum scopo Sp. S. universali seu analogia fidei conveniat?

Reg: 3. Si non, statim rejiciendus. Si autem convenit, dispiciendum porro, an etiam cum scopo particulari h. e. cum antecedentibus & consequentibus loci conveniat? Si hoc, non poterit, ut spurius, rejici.

Reg: 4. Si verò voces seu phrasès sint polysemæ, adeo, ut sensus varius inde emergat, quorum quilibet scopo universali & particulari conveniat, iste erit præferendus, qui præstantiorem veritatem continebit, vel valebit illud magni Theologi dictum: *Verba S. Scriptura significant, quicquid significare possunt.*

Certiores autem de intentione Autoris esse possumus in indagando sensu mystico,

1. Si, permittentibus illud antecedentibus & consequentibus, eligatur in polysemis cujuslibet vocis significatum aut cujuslibet figuræ figuratum eminentissimum seu ἐξοχώτατον.

2. Si sensus emergens non tantum sit analogus fidei, sed contineat veritatem Autore dignam, facientem scil. apprimè, si non ad demonstrationem, tamen ad confirmationem & illustrationem dogmatis fidei, aut mysterii pietatis.

3. Si nomina propria historiarum cum rebus & personis in repræsentando mysterio mirè conveniant.

4. Si omnia nomina propria integrorum capitum, quæ aliàs

aliàs nullius usus in N. T. esse videntur, ad mysterium applicata, accuratam & perpetuam habeant connexionem & ordinem, tam inter se, quàm cum historiis antecedentibus & consequentibus.

5. Si omnis sensus figuratus ab initio non modo capitis unius, sed libri integri, ad finem usque, methodica connexionem instat cætenæ cohæreat.

6. Si typi ab Apostolis indicati ubique locum suum inter typos noviter inventos, de quibus adhuc quæritur, inveni-
ant.

7. Si comparationes non sint abstrusæ, longè petitæ, coactæ, absonæ, absurdæ, ridiculæ, sed obviæ, à S. Scriptura ipsa traditæ, naturales & rationi etiam maximè conformes.

8. Si membra non divellantur, dislocentur, perturbentur aut distorqueantur, sed totum corpus exhibeatur uño eodemque historiæ filo.

9. Si idem vocis significatum semper retineatur, nisi S. Scriptura ipsa expressè plura indiget, & contextus evidentissimè, aliud locum habere, ostendat.

10. Si sensus mysticus sit sapidior sensu proprio, uti nucleus corticibus. Sic v. g. mysterium Melchisedeci melioris & saporis, quam ejus historia.

11. Si historia ecclesiæ, seu rerum eventus cum expositione mystica conveniat, adeo, ut appareat res Ecclesiæ figuris istis adumbratas & figuratas esse.

12. Si conspiciatur, Res præfiguratas esse causam exemplarem historiarum præfigurantium. Apparet hoc, quando major conspicitur ratio in mysterio, cur aliquid eo loco & ordine narretur, quam in ipsa historia.

Ab sit gloria, Amicissime Lector, me per omnia in hoc meo specimine, aut integro libro, his regulis satisfecisse, & ubique rem acu tetigisse. Fragilitatis enim humanæ, & meæ præsertim imbecillitatis, humillimè conscius, feci, quod Di-

vinâ

vinâ Gratiâ porui. Quicquid boni hic reperitur, non meum, sed Dei est, malum solummodo & reprobandum mihi tribuo. Conatus sum assequi, assecutum esse utcunque, confido. Tibi tamen erudito ac religiose Lector, præsertim verò Vobis Ecclesiæ Reformatæ Antistitibus, Patribus, Doctoribus, Professoribus, Pastoribus Specimen hoc pia mente & humili manu examinandum atque dijudicandum trado. Nolite, quod Ecclesiæ, Veritatis, ipsiusque Dei & Hominum hostes facere solent, sinistra accipere, quod dextra porrigitur. Agnoscite, quæso, nihil hîc quæri, quam Dei Gloriam & Ecclesiæ verè Reformatæ incrementum. Legite, perlegite sancta atque devota meditatione omnia; perlecta prudenti atque matura crisi dijudicate. Judicium, si placet, & commodum vobis videatur, notum facite, ut, si prorsus inutile appareat opus, labore superseatur; si alicubi tantum offendat & erratum sit, emendetur & corrigatur; Si verò utile deprehendatur, vestris suffragiis, tanquam manibus obstetricantibus, ad felicem partum promoveatur.

Humillimè igitur summoque studio precor atque supplico, ut, quisquis sis, amicissimè Lector, paternè atque fraternè me admonere, ubi quid peccatum vides, non dedigneris aut tergiverferis. Habebis Tibi me gratissimum & devotissimum. Quicquid etiam ex ea admonitione & correctione commodi in Ecclesiam redundaverit, Tibi totum debebitur, nec Divina remuneratione carebit.

Non enim puto hanc typorum methodicam concatenationem, cui aliquam tantum pro virili manum adhibui, quodque impofterum à felicioribus & exercitioribus ingeniis accuratius atque uberius tractari, expoliri, excoli, atque auferi poterit, prorsus fore inutilem, sed suos cum tempore prolaturam fructus in Ecclesiæ totius commodum atque oblectamentum.

Quid enim? Nonne sperare licet, *Ex ejusmodi oculari De-*

B

mon-

monstratione, si quidem ostendatur, ne quidem unius vocis si-
 tum atque ordinem temerarium esse, sed omnia nomina, di-
 cta & facta decentissima serie repræsentare mysteria, seu do-
 ctrinam N. Testamenti, ejusque ecclesiæ historias, *uberrimos*
esse proventuros fructus? Noime cernitur exinde admiranda Dei
 Opt. Max. tum *Sapientia*, tum *Potentia* atque immensa *bonitas*
 in gubernanda sua Ecclesia? utpote qui omnia ista dicta & fa-
 cta eò direxerit, & conscribi jussierit, ut sint Evangelicæ do-
 ctrinæ idea atque eventuum in ecclesia quædam quasi pro-
 phetia? Nonne perspicitur, quasi in quadam tabula geogra-
 phica, quibus ambagibus & sinuosis flexibus instar alicujus
 Mæandri admirandum Dei *Consilium* optimum suum tandem
 assequatur finem? Nonne *Fides*, *Spes*, *Charitas* in eorum ani-
 mis, qui devotè hæc omnia considerant, incenduntur aut in-
 censæ in multo majores erumpunt flammæ? Nonne præsen-
 tissimum hoc est contra pestilentissimum hujus ævi *Atheismum*
 & *Epicureismum* antidotum? Cognoscere, scil: nonnisi *Mentem*,
 futurarum *æternarum*, tum *S. Scriptura*, tum *Christianismi* esse *Au-*
ctorem? Nonne ex perpetua veteris & novi Testamenti harmo-
 nia elucescit æterni Numinis *Veritas* & immutabilis *Sanctitas*,
Justitia, *Misericordia*, &c. præsertim verò *Amor* & *Fidelis Providentia*,
 qua Filium mittere constituit, promittit & revera misit & do-
 navit, ut omnia nobis donaret cum ipso? Nonne exinde sequi-
 tur *Sanctè esse credendum* & *piè vivendum*, ut ad Ejus commu-
 nionem perveniamus? Nonne maxima ex eo affulget creden-
 tibus & amantibus *Spes?* si ante oculos habent, quo *successu* om-
 nia, hæctenus in *S. Scripturâ* ordine tradita, suum sortita
 fuerint, suoque ordine & prædefinito tempore, eventum an-
 teâ designatum. Certè qui hæc omnia prædefinivit & ad e-
 ventus suos perduxit, curabit & cætera. Nonne exemplar
 habemus veræ *sanctitatis* in ista sanctorum vita, si videamus in
 ea perpetuam sanctitatis ex vera novi Testamenti doctrina &
 fide fluentis imaginem? Et, quod maximè mirandum, si ad-
 verta-

vertatur ipsa peccata sanctorum esse permiffa & eo directa, ut figuram exhibeant *sanctitatis* melioris, ficque peccata ipsa converti in medicinam, toxica in pharmacum? Nonne tandem cum summa voluptate videtur & gustatur totum V. Testamentum esse instar corticis dulcissimum N. Testamenti nucleum in se continentis? Ego sane pro virili hos ecclesie promovere fructus omni studio atque conatu fui annixus, quos fructus aut contentu perdere, aut detractionibus corrumpere, contra conscientiam quisquis presumeret, non impunè feret.

Est certè aliquid in ordinata hac typorum, concatenatione, quod nec meum, nec alicujus ingenii humani est. Annon ingenio humano deberetur laus & gloria, si ostenderet, Verus Testamentum esse accuratissimam & perfectissimam tabulam Novi Testamenti præter omnem Dei, seu Autoris sui, intentionem? Annon omnis dexteritatis laus, inquam, redundaret in ingenium humanum, quod novisset ea omnia ad eò mirè accommodare? Annon idem esset, ac si ostenderet, talem tabulam esse Virgilii Aenëida aut Homeri Iliada? Aut igitur ostendas oportet, hæc, quæ scripsi, absona, incomposita, violenta, S. Scripturæ non conformia etc. esse, aut mihi dabis gloriam, aut fateberis, quod res est, soli Deo gloriam deberi, qui hæc omnia consilio admirando ita composuerit, ut talem mysteriorum effigiem exhibeant.

Dicam, quod res est, me non temerario ausu hanc sive explicationem, sive applicationem mysticam fuisse aggressum, nihilque minus in animo habuisse, quam istas historias ad scopum præfixum accommodare aut detorquere. Sed Divina Providentia factum arbitror, quod Summus quidam Vir, de Ecclesia nostra, æque ac de Republica meritissimus, negotium mihi dederit, describendi historias sacras cum brevi explicatione atque applicatione, in usum Christianæ juventutis. Quod dum sedulo agebam, operi ad eò incalescebam, ut profunditates mysteriorum altius inspicere datum fuerit. Præsertim dum

typos Melchisedeci, Hagaris aliosque profundius meditabar, quo tandem deventum est ad nominum priorum accuratorem excussionem, videbamque nomina Patriarcharum iusta expositione & applicatione sibi invicem tam appositè respondere & succedere, ut temerè ita confluere, aut se invicem sequi, mihi amplius persuadere non potuerim, maximè, quia videbam Spiritus Sancti morem esse, Nominibus istis ita ludere, quod ex plurimis exemplis eorum, quorum ipse interpres est, liquidò patet.

Aggressus inde fui integra capita Nominibus talibus propriis referta. Videbam ubique inveniri Nomina clarissimè significantia res spirituales suo ordine. Natum ex eo est desiderium & indefessum studium, ut, Divinam implorans jugiter opem atque Misericordiam, ab ovo ad calcem usque, omnes historias Veteris Testamenti mysticè pertractaverim. Neque puto hanc, quam grato animo agnosco, Gratiam, mihi soli illuxisse, sed ut aliis isto, quaecunque sit, talento, ad Dei Gloriam, inserviam.

Quia autem teutonico sermone scripseram, nolo publicè juris facere istud opus, quod ad molem satis magnam excrevit, antequam videam, quo animo ab eruditis & piis Ecclesiae Doctoribus excipiatur. Ideoque hoc specimen ex libro primo Moïsis, qui totus jam ita Latino idiomate elaboratus est, præmittere volui, ut ab omnium linguarum eruditis legi atque examinari possit, præsertim, quia nomina propria ex Hebraeo translata atque applicata à solis linguarum gnaris dijudicari possunt, nullumque aut exiguum apud vulgum habent usum, nisi ab eruditis approbentur.

Præverunt in typorum explicationibus, maximè in expositione mystica primi capituli Geneseos, jam multi præclari Nominis Theologi, quibus omnia ista debeo, quæ hypothesebus eorum sunt conformia. Nullius autem Nominis mentionem facio, sed omnia ita scribo, ac si ex propria penu essent deprom-

promta, tum, ut eo melius omnia cohæreant; tum, ut nullo humano nomine aliquid ingeratur, quod forsan minus commodum aut appositum sit, verum in omnibus sola spectetur rerum Evidentia & S. Scripturæ Autoritas.

Inter omnes Theologos in confesso est, Christum & Ecclesiam suam typis Scripturæ delineari. Spectatur enim Christus in persona sua, vel in membris suis, in quibus per fidem habitat. Utro modo eum spectes, sibi conformis est. Hinc plurimi typi repræsentant Christum in persona & in membris suis. Peccata, quæ in membris sunt, vel Christi prorsus non sunt, vel tantum per imputationem, est enim nobis similis factus per omnia, excepto tantum peccato. Interim tamen Deus nostra omnium peccata ipsi imputavit. Diversitas quoque cernitur inter statum humiliationis & exaltationis, quæ diversitas etiam cernitur in Christi membris.

Membra considerantur vel singulatim, vel conjunctim, ut unam faciant Ecclesiam. Hæc Ecclesia est corpus Christi, cujus Ipse Caput. Non autem intelligo Ecclesiam, quæ tantum externam confessionem oris, & quandoque etiam opera externa speciosa habet, sine tamen fide vera & charitate; Eam verò Ecclesiam intelligo, quæ habet fidem per charitatem operantem. Falsa repræsentatur per Sanctorum Patrum hostes, inimicos & falsos fratres; Vera per ipsos Sanctos. Ecclesia etiam dividitur in internam seu invisibilem, & in externam seu visibilem. Etsi autem Ecclesia vera quandoque coram oculis hominum in mundo invisibilis fuerit; Nos hic tamen per Ecclesiam intelligemus Ecclesiam veram, cujus proprium est confiteri Christum ore, & credere corde, quod Deus eum resuscitaverit è mortuis, quæ etiam in ista fide per charitatem operante salva fit. Rom. 10, 9.

Hæc est illa ipsa, quæ per sanctos Patres in historia veteri depingitur. Depingitur autem primariò quoad internam suam naturam, doctrinam, fidem, charitatem, spem &c; Secundiò

etiam quoad externam speciem, certamina inter hostes, infirmitates, afflictiones, actiones, passionis, victorias, aliasque mutationes, casus & eventus, quæ uno nomine *FATA ECCLESIAE* appellantur, pro diversa ejus variorum temporum *Oeconomia*.

Ecclesia Veteris Testamenti in plurimis ita similis est ecclesiae N. T. ut quandoque vix videatur, cui potius typus aliquis antiquior veniat applicandus. Similia enim similes habere imagines necesse est. Quod si igitur quis videat, typum, quem hic applicamus Ecclesiae, vel rebus N. Test., applicari etiam posse rebus ecclesiae Vet. Test., ne putet mihi hæc in parte adversari. Idem etiam dicendum, quando Ecclesia dividitur in eam, quæ fuit ante legem, sub lege, & post legem, inter quas, si analogia reperitur, etiam idem typus illis poterit applicari. Spiritus enim S. sibi semper similis est, & sicut singula membra, ita universam ecclesiam suo ordine, iisdemque gradibus, promover ad salutem.

Ad nominum propriorum significationem indagandam usus fui Lexicis Buxtorfii, Cocceji, etiam Alberti, nec non Onomastico sacro. Libertatem tamen mihi reservavi, exponendi etiam meum sensum & singulis appolui radices, ex quibus significationes deduxi, ut cuilibet examinanti appareat statim ratio. Nec puto, dum idem facio, quod alii, quendam jure offendi posse meis, nisi fortè hic inde hallucinando quid irreperit. Sunt, qui nodum in scirpo quærunt, aut in mustaceo laureolam, quorum judicia contemno.

Textum sacrum fere ubique ex Hebræo à verbo ad verbum transtuli, sine ulla interpolatione, ne de meo aliquid addam vel detraham, & ut Lectori statim appareat, quomodo verba in textu originali jaceant. Si hic passim aliquid desideres, reputabis, sodes, etiam doctioribus, in interpretatione Scripturæ sæpè hæerere aquam, aut ex incuria, aliave humana fragilitate aliquid subinde à summis interpretibus fuisse admittum.


Quod

Quod superest Deum Opt. Max. ex intimis cordis mei visceribus precor, ut captis adspiret & omnia in sui laudem & Ecclesiae suae emolumentum convertat, Teque, Amicissime Le&or saluum sospitemque conservet, tuis quoque laboribus & sanctis conatibus benedicat, ut omnes unanimo consensu promoveamus eam, quam exspectamus Ecclesiae pacem & animarum nostrarum salutem, fidei nostrae finem.

Uti Geographi solent praemittere *Mappas*, primò *generalem* totius orbis, deinde *speciales* omnium partium, antequam ad descriptiones regionum, insularum & urbium accedant. Ita etiam consultum duxi per tabulas, primò *generalem*, totius ecclesiae ab initio mundi ad finem usque, deinde *speciales* rerum particularium, quae in primo libro Moysis praefigurantur, praemittere, antequam ad specimen ipsum tractationis textus Biblici veniamus. Hoc enim modo videbitur accurata & methodica connexio, tum capitum inter se, tum rerum in iis contentarum. Specialior postea nexus paragra-phorum, verborum & sententiarum, ut & convenientia rerum spiritualium cum typis suis ex Specimine ipso clarissime patebit. Moneo igitur, ut has tabulas, quae ad *septem* com-mode revocari possunt, prius cum attentione legas, tanquam totius operis *clavem*.



SCIA



S C I A G R A P H I A.

TABULA I. GENERALIS.

Continet hæc tabula *Renovationem* Hominis, quibus scilicet gradibus ea peragatur & perficiatur, tam in singulis electis, quam in tota Ecclesia ab initio ad finem usque mundi. Hæc præfiguratur à capite I. usque ad v. 4. capitis II. Cernitur enim ibidem Christi & Ecclesiæ

Labor Ubi

Hominis novi creatio, scilicet		Gen. I: 1. v.
Corruptio.		2.
Restitutio, quæ fit		
Spiritus S. regeneratione		2.
Gratiæ salutaris apparitione.	Die I.	3.
Ecclesiæ		
invisibilis separatio.	Die II.	6.
visibilis constitutio.		9.
fructificatio.	Die III.	11.
Messæ exhibitio.		
Solis justitiæ fulgore,		
Ecclesiæ splendore		
Doctorum nitore.	Die IV.	14.
Gentium conversio		
plebis		20.
magnatum.	Die V.	21.
Christianorum		
per verbum informatio		24.
per manus Dei renovatio.	Die VI.	26.
Quies.	Die VII.	Gen. II: 1.

TABULA II.

Exhibet hæc tabula specialiorem *Oeconomiam* Ecclesie sub promissione, sub lege, & sub Evangelio, à versu 4. capitis II. ad v. r. capitis V. exclusivè. Quo- modo scilicet fiat *justificatio* ejusque Ecclesie sub

Promissione. Ubi formæ introducendæ

1. privatio, absente scilicet mediatore ejusque Spiritu. (Gen. II: 4.

2. introductio per

3. Hominis novi formationem. 7.

4. Ecclesie externæ plantationem, quæ fructificatur 8.

5. Spiritus S. irrigatione. 10.

6. Novi coloni impositione. 15.

7. Ecclesie internæ

8. formatione 18.

9. justificatione. 25.

Legè, Ubi (Gen. III.

1. Ecclesie Israeliticæ sub legem subjectio. 1.

2. Messie satisfactio. 6.

3. novi hominis justificatio. 20. 21.

4. sanctificatio. 21.

5. veteris hominis mortificatio. 22.

Evangelio. Ubi Judæorum & Gentium (Gen. IV.

1. diversitas in 1.

2. generatione 2.

3. justificatione, quæ habet Sacrificii 3.

4. Christianorum approbationem. 4.

5. Judæorum reprobationem 5.

6. Sanctificatione, ubi

7. Christianorum martyria. 6.

8. Judæorum

9. homicidia 8.

10. supplicia, quæ consistunt in

11. expulsiõne 11.

12. obstinata excæcatione. 17.

Unitas. Quæ fiet

1. Judæorum

2. contritione 18.

3. ad fidem Christianam conversione 19.

4. Christianorum sanctificatione. 25.

TABULA III.

Exhibet hæc tabulæ catalogum præcognitorum ad salutem, idque juxta catenam auream Apostoli Rom. 8, 29. Juxta quàm videbimus ordine quatuor tabulas sequentes: I. Præcognitorum. II. Prædestinatorum ad conformitatem filii. III. Vocatorum. IV. Justificatorum. V. Glorificatorum.

Sunt autem præcogniti

	Gen. V. 1.
1. Positi non ad iram, sed ad salutem;	3.
2. Agnoscentes suam misericordiam,	6.
3. Deplorantes peccata,	9.
4. Consequentes gratiam in Christo,	12.
5. Morientes peccatis,	15.
6. Viventes Deo,	18.
7. Relinquentes mundum,	21.
8. Pauperes Spiritu,	25.
9. Divites solatio. Suntque tales sub promissione lege. Evangelio.	32.

Desumpta hæc sunt à Nominibus Patrum, has proprietates Præcognitorum clarissime indicantibus.

1. Seth, à שׁוּת *positum* significat. Præcogniti autem ipsi illi sunt, qui *positi* sunt ad salutem 1. Theff. 5, 9. Rom. 8, 28.
2. Enoch ab אֲנָשׁ *ægrosum, miserum.*
3. Kenan à קֹנֵן *lamentantem.*
4. Mehallaleel à הֵלֵל & אֵל *laudantem Deum propter gratiam Rom. 7, 24. 25.*
5. Jared à יָרֵד *descendentem & à רָדָה & דָּוָה *dominantem.* 2. Tim. 2, 11. 12.*
6. Chanoch à חֲנֹךְ *consecratum.*
7. Methuschalach à מוֹת & שָׁלַח *mortuos vel opera mortua relinquentem.*
8. Lamech à לָמַךְ *pauperem: 2. Cor. 6, 10. Matth. 5, 3.*
9. Noach à נֹחַ *quietem aut à נַחַם *solatium.**

Uterior explicatio & demonstratio, ut & nominum Schem, Cham & Japhet in ipso opere, bono cum Deo, dabitur.

TABULA IV.

Exhibet hæc tabula præordinationem ad *conformitatem* Filii, in *Noacho*, quæ *Con-*
formitas consistit in *Gen. VI.*

- mortificatione veteris hominis. Cujus præfiguratur *1.*
- corruptio, seu depravatio. *2.*
- destructio seu abolitio. Quæ *3.*
- prædefinitur *4.*
- revelatur ad interni hominis conservationem, per Ecclesiæ *13.*
- adificationem *14.*
- ingressionem *Gen. VII. 1.*
- infertur. *11.*
- vivificatione novi hominis. Cujus
- conservatio in ira. *23.*
- renovatio per gratiam, *Gen. VIII. 15.*
- expiatio per Christi sacrificium. *16.*
- propagatio per evangelium, quæ fit *Gen. IX.*
- fœderis gratiæ firmitate
- non obstante hominum infirmitate } quæ cernitur in *9.*
- ecclesiæ Christianæ plantatione *20.*
- Judæorum defectione *22.*
- Gentium vocatione *27.*
- Electorum adductione, seu interna Vocatione.

TABULA V.

Continet hæc naturam *vocationis* & historiam interne *vocatorum* in *Abrahamo* & *Isaaco*. In ista enim *vocatione* cernuntur

Vocati, quorum		
latitudo, seu amplitudo, extendens se ad	Gen. X.	
gentes sine lege, vel ante legem.		1.2.
Judeos sub lege.		6.
Christianos sub <i>vangelio</i> .		21.
Status seu conditio sub		
antichristi regimine.	XI.	1.
secliarum confusione.		6.
Vocati. Eorum:		
sub regno tenebrarum conservatio.		10.
ex isto regno evocatio. Ubi <i>vocatorum</i>	XII.	1.
egressus & peregrinatio.		4.
prædicatio.		8.
perichlitas inter		
mundi principes.		10.
fratrum discordias.	XIII.	1.
malignorum pugnas, quibus electi	XIV.	1.
captivantur.		11.
à <i>vocatis</i> liberantur, qui		13.
gloriam dant Christo, sen, roborantur à Christo.		18.
tentantur à mundo.		21.
Semini propagatio, quod		XV.
promittitur		1.
datur, generatione filiorum secundum		
carnem.	XVI.	1.
promissionem, quæ requirit	XVII.	1.
carnis circumcissionem.		10.
charitatis demonstrationem.	XVIII.	1.
Sodomæ spiritualis destructionem.	XIX.	1.
novæ <i>vangelii</i> prædicationem, qua	XX.	1.
externa ecclesia reformatur.		14.
vera fides in renatis generatur. Inde	XXI.	1.
operationum servitus ejicitur.		9.
fidei libertas restituitur, dum		
recipitur à mundo.		12.
probatur à Deo. Hinc Ecclesia	XXII.	1.
moritur legi & mundo.	XXIII.	1.
vivit & nubit Domino. Inde Vocati	XXIV.	1.
ecclesiam multiplicant.	XXV.	1.
in celestem patriam migrant.		7.

TA

) 21 ()
TABULA VI.

Exhibens fidem ecclesiae justificantem & sanctificantem, quae representatur in *Isaaco* & *Jacobo*. Ubi conspicitur:


Ecclesiae Novi testamenti ad fidem justificantem & sanctificantem		
Formatio, idque		Gen. XXV.
Apostolorum praedicatione		12.
Christianorum generatione, qui autem		19.
tantum externi, currentes.		25.
veri & interni, credentes. Prærogativam		26.
illi præripiunt		
hi verò recuperant.		29.
Reformatio, quæ fit annunciatione Gratiae		
generali		XXVI. 1.
speciali seu particulari. Ubi		8.
infidelium altercationes		12.
fidelium benedictiones, quæ transferantur		23.
non ad operarios profanos,		XXVII. 1.
sed ad fideles sanctos. Isti autem		6.
Patrem & matrem relinquunt.		XXVIII. 1.
se Deo consecrant,		16.
alios ad fidem convertunt. Faciunt hoc		XXIX. 1.
evangelium poenitentibus annuncians		4.
ecclesiam Christo adducendo. Quæ		16.
lege fatigata		23.
evangelio refecta,		28.
prolem sanctam generando,		31.
multo labore serviendo.		XXX. 25.
Se à mundi elementis separant. Quo consequuntur		
victoriam, Superantes		XXXI. 1.
mundum fuga		XXXII. 1.
Deum fide		XXXIII. 1.
falsos fratres humanitate		18.
pacem;		XXXIV. 1.
non tamen cum profanis,		XXXV. 1.
sed cum verè sanctis.		
Sanctitatem, quæ obtinetur		
Ecclesiae externæ reformatione		2.
Christi interna apparitione & benedictione.		9.
veteris hominis mortificatione		16.
novi hominis vivificatione, quo		18.
vera sanctitas acquiritur		21.
cum antiqua fide jungitur		27.
vitam æternam.		28.

TABULA VII.

Continens Ecclesiae Glorificationem, cujus Typus Ioseph. In ea representatur Dominationis

Antichristianae remotio	Gen. XXXVI.	1.
Christianae constitutio. Ubi cernitur Christi		
Servitus exhibens	XXXVII.	1.
I Christi passionem		11.
I Evangelii praedicationem, Qua facta Messias		25.
I venditus à Judæis plurimis,		26.
I agnitus ab electis.	XXXVIII.	1. 33.
I receptus à gentibus. Ubi tamen prius	XXXIX.	1.
I servit in ecclesia externa.		4.
I captivus tenetur in corrupta. In qua		7.
I yaticinatur de	XL.	1.
I vera doctrina restitutione		13.
I populorum conversione	XLI.	1.
I liberatur		37.
Dominatus. Sub quo		39.
uberrima doctrinae messis,		47.
sacra verbi fames, cujus tempore		
I Judæi		
I solatium quaerent	XLII.	
I cor contritum adferent	XLIII.	
I confessionem antiquam edent	XLIV.	
I fratrem agnoscent	XLV.	
I Christianae ecclesiae se adjungent	XLVI.	
I Gentes pascentur verbo	XLVII.	13.
I tradent se Domino,		23.
beatus sanctorum obitus, qui		
I filiis benedicunt	XLVIII.	
I futura praedicant	XLIX.	1.
beata morte expirant, relinquentes		35.
I resurrectionis obligationem	L.	1.
I fidei suae recordationem.		24.

Quomodo jam omnia hæc Archetypa cum Ectypis suis ad amissim convenient, declarabitur & demonstrabitur in ipso opere, cujus Specimen nunc sequitur ex Tabula V.



CAPUT XIX.

LIBRI PRIMI MOSIS

*Speciminis loco typice explicatum & applicatum,
quo exhibetur*

INTERITUS SODOMÆ.

Historiam hanc de Interitu Sodomæ & Gomorrhæ
veram esse historiam, hoc est, narrare ea, quæ re-
vera suo tempore in mundo gesta sunt, sanctè con-
fiteor & credo. Neque enim magis historix veritas
hac mea explicatione & applicatione mystica labefactatur, aut
in dubium vocatur, atque historia *Melchisedeci, Sara & Hagaris* ab
Apostolo, mysticè & typicè eam exponente. Sodomâ re-
gnum & civitatem Antichristi præfigurari, ipse Spiritus Sanctus
indicat Apoc. 11, 8. Videbimus igitur hic, quomodo hæc ima-
go cum suo originali, ut ita loquar, in omnibus conveniat.
Quo autem facilius scopus & connexio conspiciatur, præmit-
temus mysteriorum in hoc capite repræsentatorum *argumen-*
tum, quod postea quoque distinctè & suo ordine singulis pa-
ragraphis ad marginem adscriptum est.

ARGUMENTUM.

Doctrina Evangelica circa tempus reformationis per Ver-
bi Ministros, in quibus Christus & Spiritus S. habitant,
venit in eam civitatem, quæ dicitur *spiritualiter Sodoma*.
Christus & Spiritus in sua doctrina & ministris excipiuntur ab
occultis fidelibus in ista civitate commorantibus. Sed Anti-
christiani iudices cum toto suo populo insurgunt contra no-
vam doctrinam Evangelicam. Fideles ipsos fraternè admo-
nent. Sed nihil proficiunt. *Ecclesia Antichristiana scoto-*
mate

mate percutitur. Occultis fidelibus revelatur instans ejus interitus. Id aliis ridiculo est. Sed urgentur electi & manibus extrahuntur ex malorum consortio. Jubentur fidei suæ professionem facere. At ipsi metuunt, Deumque precantur, ut latere eos sinat inter paucos residuos. His egressis subvertitur Sodoma. Egressi respicientes ponuntur aliis in exemplum. Fideles intuentur plagas Sodomæ. Vocationis intuitu parcit Deus etiam occultis. Hi ex metu latent cum suis, & propagant fidem clanculum, semen verbi illis communicando. Hinc ex iis nascuntur populi externorum Christianorum, profitentes religionem à patribus suis traditam, & inter gentem suæ originis vigentem.

TEXTUS BIBLICUS.

g. Doctrina evangelica venit in ecclesiam antichristianam. **Y. I.** *Et venerunt duo angeli Sodomam vespere, & Loth sedebat in porta Sodomæ. Et vidit Loth & surrexit ipsis obviam, & incurvavit se facie ad terram conversa: Et dixit: Ecce quæso Domine, declinate quæso ad domum servi vestri, & pernoctate, & lavate pedes vestros, & mane surgetis & ambulabitis viam vestram.*

Angeli xxi & xxii sunt Filius & Spiritus Dei. Angelus enim legatum dicit. Filius legatus seu missus dicitur, Joh. 3, 16. & alibi possim. Spiritus S. Joh. 14, 26. & 15, 26. Commodè igitur duo hi legati per istos binos angelos repræsentantur. Veniunt isti bini angeli Sodomam, quando non modo doctrina de Filio & Spiritu S. prædicatur in civitate illa, quæ dicitur spiritualiter Sodoma, Apoc. 11, 8. sed etiam fideles illi legati, qui loco Christi sunt, & per quos Deus nos hortatur, 2. Cor. 5, 20. veniunt ad eam civitatem. Sodoma Hebr. סדום mysterium eorum dicit. Civitas enim illa magna ex mysteriis Dei mysterium suum iniquitatis facit, veritatem convertendo in mendacia. 2. Theff. 2, 7. 8. 9. 10. Hinc super frontem meretricis illius scriptum erat nomen: *Mysterium: Apoc. 17, 5. Vesper appropin-*

pinquans Dei iudicium dicit, quando Sol iustitiæ ita occidit, ut iustitia fidei non amplius publicè prædicetur. Pl. 59, 7. In qua ecclesia hoc factum sit, nemini ignotum. *Vesper* Hebr. ערב *commixtionem* seu *confusionem* dicit, quæ in illa civitate maxime fuit, cum non tantum *commixtio* fieret *meriti & gratiæ*, sed etiam nata totius Christianismi depravatio & omnium peccatorum *colluvies*. *Loth* Hebr. לוט *occultum, absconditum, involutum & implicatum* significat, quales multi electi & fideles in ecclesia antichristiana commorantes, qui jubentur egredi ex medio eorum 2. Cor. 6, 17. Ef. 52, 11. Apoc. 18, 4.

Quemadmodum igitur hi duo angeli venerunt Sodomam *vesperis* & à Loth fuerunt visi & invitati ad domum suam: Ita fideles Christi ministri Spiritu S. ducti venerunt ad spiritualem Sodomam annunciaturi veritatem evangelicam gratiæ, quæ consistit in remissione peccatorum per fidem in Christum, & in renovatione hominis per Spiritum Sanctum. Hos statim agnoverunt, qui in Sodoma istius porta confederant occulti fideles, ideoque accurrerunt in occursum ipsis, incurvantes se sancta veneratione veritatis & orantes, ut advenæ isti secum domum concedant, ejusque communionem fruantur. Qui enim, inquit Johannes, in doctrina Christi manet, ipse Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, non recipite eum in domum, & salutem ipsis non dicite. 2. Joh. v. 9. 10. Ex eo sequitur, eos, qui hanc doctrinam Christi adferunt, esse recipiendos, & eo sensu maxime Apostolum dicere: Hospitalitatis, ne obliviscimini: per hanc enim exceperunt quidam in hospitium angelos. Heb. 13. *Lavare pedes* sanctificationem conversationis representare, supra dictum. Vide Joh. 13, 5---15.

§. Et recipitur ab oculis fidelibus. *ψ. 2. Et dixerunt: non, quia in platea pernoctabimus. Et institit valde; & venerunt ad domum ejus, & fecit ipsis convivium, & azymos coxit, & ederunt.*

Convivium Hebr: dicitur משתה à comotatione. Denotat igitur communionem calicis & sanguinis J. C. diu intermissam in re.

gno antichristi. *Azimos* nobis explicat Apostolus 1. Cor. 5, 8. Ferriemur inquit non in fermento antiquo, neq; in fermento malitiæ & pravitatis, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

Quemadmodum igitur *Angeli primo recusarunt hospitium, mox autem instante Lotho diverterunt ad ipsum, & cum ipso convivantes azymos comederunt*: Ita faciunt, qui veram doctrinam Christi adferunt & domi suæ habent; Non enim sancti impudenter alios gravant, nec opera charitatis, tanquam officia sibi debita, efflagitant, sed potius ipsi incommoda patiuntur, quam aliis molestias creant, cujus rei exemplum habemus in Paulo 1. Cor. 9, 1-27. & 2. Cor. 12, 14. 1. Thess. 2, 7-9. Instant tamen benefactores, nec facile dimoveri se patiuntur à sancto suo proposito, eoq; ipso demonstrant fidem suam operibus suis Jac. 2, 18. Neque morosi sunt sancti *advena* ut opera charitatis prorsus repudient, aut aspemur, sed potius lætantur, si fidelibus occasionem præbeant ea exercendi, ut etiam eorum merces magna sit in cælo. Luc. 6, 23. Matth. 10, 42. *Convivium etiam parant & una convivantur* non tantum edentes & bibentes ad Dei gloriam 1. Cor. 10, 31. verum multò magis edentes illud pascha verum, quod Christus est, idque non in veteri fermento, sed cum *azymis* novis de quibus jam dictum ex 1. Cor. 5, 7. Sic igitur sancti comedunt.

Sed Sodoma iudices insurgunt contra novam doctrinam evangelicam.

4. *Antequam autem cubitum ivissent, homines civitatis, homines Sodoma circumdederunt domum à puero ad senem usq;, omnis populus ab extremo; & vocarunt Lothum, & dixerunt ei: ubi sunt homines, qui venerunt ad te hæc nocte; Educato eos ad nos & cognoscemus eos.*

Verbum *γινώσκω* cognoscere, quod alias honestam habet significationem, hic Sodomiticam habet & obscenam; Ita etiam cognoscere de articulis fidei seu doctrina Christiana. Si quis, inquit Paulus, videtur sibi propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia præcepta Domini sunt 1. Cor. 14, 37.

&c.

& Christus ipse: Si quis vult voluntatem ejus facere, qui misit me, *cognoscat* de doctrina, utrum ex Deo sit, aut ego à me ipso loquar. Joh. 7:17. Sed alibi sumitur in sequiori sensu de profanatoribus & *Ἰουδαϊσμοῖς*, de quibus dicitur, quod Judaicis fabulis attendentes præceptis humanis pervertant veritatem. Omnia enim pura esse puris, impuris autem & infidelibus nihil purum esse, sed pollutam esse eorum mentem & conscientiam, Deum profitentes *cognoscere*, sed abnegantes operibus, abominabiles & inobedientes, & ad omne bonum opus profusus inutiles. Tit. 1, 16. 14. & Jud. v. 10. Isti verò, quæ non *intelligunt* blasphemant, quæ vero naturaliter, uti irrationalia animalia, *cognoscunt*, in iis corrumpuntur. Tales sunt igitur rerum theologiarum judices, qui volunt esse doctores legis, *neq;* tamen *insellunt* quid dicant, aut quid asseverent. 1. Tim. 1, 7. Idcirco

Quemadmodum Sodomitæ omnes circumdederunt domum Lothi volentes cognoscere hos advenas angelos; Ita ecclesia antichristiana, antequam vera doctrina de Christi gratia & Spiritus renovatione, noviter, & quasi peregrinè ad ipsam adveniens, ad quietem se componere potuit, circumdederunt domum sanctorum, qui eam doctrinam exceperant, à puero ad senem usq;, omnes in universum, qui se catholicam dicebant ecclesiam; Isti evocarunt Lothum, abditos hætenus & occultos in eorum civitate habitantes fideles & sanctos, volentes cognoscere de doctrina ista advena, an scilicet à Deo sit, an ex hominibus, vel potius, an cum suis traditionibus & canonum placitis conveniat, nec ne? quid autem istorum *judicare* aliud fuit, quam vitare, profanare, blasphemare, multisque modis polluere & inquinare? Ita igitur voluerunt maleferiati illi homines Sodomæ spiritualis cognoscere doctrinam de Filii satisfactione & Spiritus S. renovatione, quam hætenus in Abrahami historia repræsentatam fuisse vidimus.

9. Occulti fideles frater-

ψ. 6. Et exiit ad eos Loth foras, & januam clausit post se.

D 2

se.

de ipsos ad-
monent.

se, & dixit: Ne, quaso, fratres, male agite, ecce quaso
mibi dua filia, qua non agnoverunt virum, educans
eas, quaso, vobis, & facietis ipsis, sicuti bonum in oculis
vestris, tantum hominibus istis (vel hominibus Dei)
ne facite quicquam, nam propterea venerunt sub tectum
meum.

Janua Christus est Joh. 10, 7. Occludere istam janua est cel-
lare ingressum vitæ per gratiam Christi, seu idem, quod Chri-
stus dicit: nolite dare sanctum canibus, neque projicite mar-
garitas vestras coram porcis, ne conculcent eas pedibus suis,
& conversi dilacerent vos. Matth. 7, 6. *Filia Loth* optimè re-
præsentabunt progeniem doctrinæ, quam *occuli* Christiani gi-
gnere possunt inter homines depravatos, & de qua *cognosce-
re* *judices* illos conveniens est. Tales sunt duæ doctrinæ, quas
proponit istis pravis judicibus, qui alios judicant, semetipfos
autem non judicant, Paulus: nimirum: Deum daturum, cui-
que secundum opera, nempe, illis quidem, qui, secundum
tolerantiam boni operis, gloriam, honorem & incorruptibili-
tatem quærunt, vitam æternam; illis verò, qui ex conten-
tione sunt, & non obediunt quidem veritati, sed obediunt
injustitiæ, excandescantiam & iram. Duas hic, inquam, pro-
ponit Apostolus judicibus istis pravis doctrinas, *remuneratio-
nem* *bonorum*, & *punitionem* *malorum* operum in judicio futu-
ro. Qui igitur ex institutione *occulorum electorum* spem
conciunt *remuneracionis bonorum operum*, & metum pu-
nitionis *malorum*, fidem tamen habent adhuc infirmam, his
duabus filiabus Lothi optimè repræsantantur, sive autem lo-
quamur in abstracto sive in concreto perinde est, ut vidimus
ex Gal. 4, 23. 26.

Quemadmodum nunc *Loth* evocatus exivit foras & janua
post se clausit; precans ne quicquam mali facerent hospitibus suis, of-
ferens etiam potius filias suas; Ita *occuli* illi, qui receperant do-
ctrinam evangelicam de Christi satisfactione & Spiritus S. re-

nova

novatione comparuerunt quidem coram iudicibus & tribunali malorum, sed caverunt ne istam doctrinam intempestivè profiterentur canibus & suis, *precantes fraternè ne filium Dei conculerent pedibus & Spiritum gratiæ contumelia afficiant* Heb. 10, 29. *Obtulerunt* potius suam, quam hactenus propagarunt doctrinam *iudicibus cognoscendam*, Deum scilicet supremum Judicem tributurum esse afflictionem, & angustiam omni animæ hominis operantis malum; gloriam verò & honorem & pacem omni operanti bonum. Rom. 2, 9. Iste filia autem Sodomitis non arrident. Licet enim ista dogmata non possint hæreseos accusare, aut condemnare, tamen illis irritantur mali; Nam impius in elatione vultus sui non inquit, non est Deus, omnes sunt cogitationes ejus, profanæ sunt viæ ejus omni tempore, iudicia tua à conspectu ejus sunt, in omnes hostes suos insufflat. Ps. 10, 5. Uti nunc sequitur:

§. Sed nihil proficiunt.

¶ 9. *Et dixerunt: accede huc. Et dixerunt: an unus tu, qui venisti ad peregrinandum, iudicando iudicabis? Nunc male tibi faciemus pro illis. Et impressionem fecerunt in virum, in Lothum, valde & accesserunt ad effringendum fores.*

Fideles peregrini sunt in mundo. Quando isti iudicia Dei peccatoribus annunciant, & à peccatis dehortantur, dicuntur malis iudicare, vel iudices agere. Quemadmodum autem isti Sodomita hoc obiciunt Lotho, & omne malum ipsi minantur, etiam impressionem fecerunt in ipsum, & ad effringendam januam; Ita maleferiati iudices antichristiani fidelibus occultis inter eos habitantibus & sæpè iudicio Dei à peccatis dehortantibus hoc exprobrarunt, Eos, qui advenæ & peregrini sint, quibus minime conveniat in ecclesia iudicare, se tamen in iudices erigere velle; ideoque ipsis quævis dira fuerunt minati, nec minus impressionem omnemque vim adhibuerunt, ut inquisitionis suæ fidiculis confessionem oris extorquerent, eosque hæreseos condemnarent. Ita quoque impressionem fecerunt in ipsum Christum,

rum, qui ecclesie suae janua est, ut eam effringerent, agentes illud, quod Psalmus dicit: Reges terrae & principes consultant una contra Jehovam & unctum ejus, rumpamus vincula eorum, & abjiciamus funes eorum. Sed habitans in caelis ridet, Dominus subsannat eos, ut jam sequitur:

§. Ecclesia antichristiana scotomate percussitur.

Y. 10. Et emiserunt homines manus suas & venire fecerunt Lothum ad se in domum, & januam clauserunt; Et homines qui praeforibus erant, percussi fuerunt caecitate a parvo ad magnum, & fatigati sunt ad inveniendam januam.

Quemadmodum hic Deus per manus hominum Lothum eripuit, ita etiam suos eripit a manu impiorum Pl. 97, 10. Luc. 18, 8. quandoque immediatè & miraculosè suà quasi manu, ut Petrum Act. 12, 11. Paulum & Silam Act. 16, 25. 26. quandoque mediatè per manus hominum. Act. 21, 31. Deus enim inquit Apostolus, qui mortuos excitat, est, qui nos a tali morte liberavit, & liberat: in quem speramus, quod & insuper nos liberabit 2. Cor. 1, 9, 10. Januam clauserunt angeli; ita Dei legati cessant annunciare Jesum, & mysteria ejus occultant obstinatis & perfrectae frontis hominibus, verbum gratiae respicientibus, Actor. cap 13, vers. 46. idque ex mandato ipsius Christi Matth. 10, 14. 15. quod etiam ecclesiae antichristianae ipsiusque iudicibus factum, qui non minus ac Sodomitae caecitate percussi sunt, ut januam in suis tenebris invenire non potuerint. Quicquid enim in consiliis suis agitaverint, verum & unicum introitum per gratiam Jesu Christi invenire non potuerunt, hinc gratiae doctrinam non tantum in concilio suo omnibus diris devoverunt, sed & hodie adhuc quovismodo persequuntur, quod in ipsis Jansenis videre fuit, adeo caeci sunt & fuerunt! Obvenit igitur ipsis, quod impiis Judaeis, de quibus Joh. 12, 40. Excraevit ipsorum oculos & obduravit ipsorum cor, ut non videant oculis, & intelligant corde, & revertantur, & salvem eos.



Si Occultis
fidelibus re-
velatur in-
stans ejus
interitus.

Et dixerunt homines isti ad Lothum: An adhuc tibi quis hic gener, & filii tui, & filiae tuae, & quicquid tuum est in civitate: Educito ex loco isto. Nam perdemus nos locum istum, magnus enim est clamor eorum, coram facie Jehovae. Et misit nos Jehovae ad perdendum eum.

Gener, aut filius, aut filia Loth repraesentant eos, qui dogmata quaedam salutaria, aut iis affinia audiverunt ab occultis fidelibus, eaque receperunt. Gal. 4, 19. Perditur locus spiritualiter, quando Satanae traditur ad perditionem carnis, quod fit etiam ab hominibus, sed non nisi in nomine, Spiritu & virtute Christi. 1. Cor. 5, 5. 1. Tim. 1, 20. Educuntur ex tali loco, quos ministri obtestantur & adhortantur dicentes: Servamini a generatione ista perversa. Act. 2, 40. Hinc:

Quemadmodum homines isti admonuerunt Lothum, ut educeret, si quos haberet ex Sodoma, quoniam ob enormia ejus peccata esset perdenda: Ita etiam legati & ministri Dei videntes ultimam detectionem a gratia salutari & extremam illam impietatem in ecclesia antichristiana, etiam ejus judicium praeviderunt, idque ex tot de Sodoma hujus everfione vaticiniis & revelationibus. Nec potuerunt aliter judicare, ex maligna & fatali ista caecitate, quam sensitis perverfis & obstinatis odorum tantum esse mortis ad mortem, 2. Cor. 2, 16. adeoque missos esse ad perdendum eorum locum. Voluerunt tamen ex eo educi, si qui essent, qui aliquid salutaris sermonis receperint, juxta vocem illam de caelo: Egredimini ex ea populemi, ut non participes fiat peccatorum ejus, & accipiatis ex plagis ejus. Apoc. 18, 4.

Sola alia re
diculo est.

Et exivit Loth & locutus fuit ad generos suos accipiuos filias suas, & dixit: Surgite, exite ex loco isto, quia perdet Jehovae urbem. Et fuit tanquam ridens in oculis generorum suorum.

Generi accipientes filias Lothi repraesentant eos, qui recipi-

cipiunt aliquo modo dogmata de remuneratione bonorum & punitione malorum, illi non procul sunt à regno Dei, uti ille Marc. 12, 34. Sed putant judicia Dei adhuc procul abesse Ezech. 12, 27. & si ipsis annuncietur, ea jam instare, ridiculum ipsis est 2. Pet. 3, 3.

Quemadmodum igitur Loth generis suis quidem Sodome interitum annuntiavit, ipsis vero ludere visus est; Ita etiam multis in ecclesia antichristiana, qui crediderunt aliquo modo, Deum remuneraturum esse bona & puniturum mala in ultimo illo iudicio, annunciatum fuit, Deum perditurum istam ecclesiam, sed hoc ipsis fuit ludibrio. Vaticinatus de eo est Apostolus: 1. Thess. 5, 3. quum enim dicent: Pax & tranquillitas, tum repente ipsis existet perditio, sicuti dolor gravidæ, & non effugient. coll. 2. Thess. 2, 8-12. 2. Pet. 3, 1.

§. Sed urgensur filiales. ¶. 15. Et cum diluculum adscenderet, urserunt angeli Lothum dicendo: Surge, cape uxorem tuam, & duas filias duas presentes, ne consumaris in iniquitate civitatis.

Aurora lucis ortus est. Lux est evangelium 2. Cor. 4. 4. 5. vel nar' εὐαγγέλιον Christus in evangelio lucens. Joh. 1, 4. Urgent angeli seu legati, quando dilectio Christi eos urget, 2. Cor. 5, 14, ut & alios urgeant, & ex somno quasi excitent, vocantes: Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus. Eph. 5, 14. 2. Pet. 3, 12.

Fecerunt hoc legati Dei in ecclesia funditus corrupta, & quemadmodum Loth non habuit filios, sed uxorem & filias, quas capere debuit; ita occulti pii in papatu non habuerunt nisi aliquot infirmos & debiles, qui ipsis adhæserunt & judicia Dei timuerunt. Has tamen capere debuerunt & educere ex loco illo perditionis, ne consumantur in ejus iniquitate, quando adscenderant peccata ejus ad cælum usque, & Deus recordatus fuit injuriarum ejus. Apoc. 18, 5.

§. Et manibus extrahuntur ex Sodoma. ¶. 16. Et cunctatus est, & apprehenderunt homines manum ejus, & manum uxoris ejus, & manum binarum filiarum

rum

rum ejus in clementia Jehova super eum, & eduxerunt eum, & collocarunt eum extra urbem.

Cunctantur adeò fideles, ut omni hortatu opus sit, ne priventur gratià Dei Heb. 12, 15. sed effugiant hæc omnia, quæ futura sunt. Luc. 21, 36. Imo ne sic quidem festinarent, nisi tanta super eos esset Dei clementia, ut apprehendat eos quasi manu & extrahat eos ex periculo. Hinc sponsa: trahe me post te, & curemus Cant. 1, 3. & Assaph: Prehendis manum dextram, in consilio tuo ducis me, & tandem gloria recipis me. Pl. 73, 24. Non autem tantum firmiores, sed & infirmi ita apprehenduntur & trahuntur, quippe robur Christi in infirmis potens est 2. Cor. 12, 9.

Quemadmodum igitur isti angeli Lothum cunctantem apprehenderunt manu & eum extraxerunt. Ita quicumque ex papatu egressi fuerunt, hanc Dei potentem manum agnoverunt dicentes cum ecclesia tota: Clangite Jehovæ omnis terra, servite Jehovæ in lætitia. Accedite ad ejus faciem cum cantu. Agnoscite quod Jehovah Deus sit: Ipse fecit nos, & non nos ipsi populum suum, & gregem pascui sui. Intrate portas ejus cum laude, atria ejus cum gratiarum actione. Celebrate & benedicite nomen ejus, quoniam bonus est Jehovah, in seculum gratia ejus, & à generatione ad generationem veritas ejus. Pl. 100.

§. lubentur fidei sua publicam confessionem adere.

Y. 17. Et factum, cum eduxisset eos foras, dixit: Eripe animam tuam, non respice post te, non subsiste in omni regione, in monte eripe te, ne consumaris.

Ita incumbit fidelibus, ut eripiant animam suam eduçti ex generatione ista perversa. Non enim sumus nos subductionis filii ad interitum, sed fidei ad acquisitionem salutis Heb. 10, 39. quare deposito omni onere, & quod circumstat, peccato per patientiam decurrendum est propositum nobis certamen. Heb. 12, 1. Neque respiciendum ad ea, quæ relinquenda sunt, uti Christus

E di-

dicit ipse: Luc: 9, 62. & Matth. 24, 16. Tunc qui in Judæa est, fugiat in montes, & qui supra tectum est, non descendat, ut tollat aliquid ex domo sua; Et qui in agro est, non revertatur post se, ut tollat vestes suas. &c.

Mons mysticè ecclesia visibilis est, Es. 2, 2. mons sc. Zion, ad quem veniunt verè fideles, si publicam fidei suæ faciunt confessionem. Heb. 12: 22. Hoc igitur vult mandatum se eripendi in monte, quod Christus dicit: Vos estis lux mundi, non potest urbs occultari, quæ in monte sita est; neque accendant lychnum & collocant ipsum sub modium, sed supra lychnuchum, & lucet omnibus, qui in domo sunt: Ita luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est. Matth. 5, 15.

Quemadmodum igitur *Loth admonitus fuit, ut se eriperet in montem, nec respiciat; Ita illi occulti, qui tamen effugerunt ex ecclesia antichristiana, mandatum Christi acceperunt, ut non respiciant, nec redeant ad priora, 2. Pet. 2, 20. nec in occulto maneat, sed se conferant in ecclesiam publicam, & publica sua confessione glorificent Patrem & ædificent fratres.*

§. Sed ipse **¶. 18.** *Et dixit Loth ad eos: Non queso Domine. Ecce queso invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, & magnifica gratiam tuam, quam fecisti mihi ad vivificandam animam meam, Et ego non possum eripi in monte, ne forte adhæreat mihi malum & moriar.*

Ita etiam sanè illi, qui hætenus in occulto latuerunt, & adhuc infirmitatis suæ sibi adherentis conscii sunt, metuunt, ne à malo isto superentur, si publicam facerent fidei suæ confessionem, Dominumque in occulto precantur, ut sibi pareat pro gratia sua & clementia infinita. Tales fuerunt 7000. in Israël, qui genua Baali non flexerunt in persecutione Jesabelis 1. Reg. 19, 18. tales Prophetæ occultati in speluncis ab Obadiah, cap. 18, 4. Imo Obadiah & Elias ipsi, qui se occultarunt aliquamdiu ad se ejus furori subducendos, 19, 14.

Quem-

Quemadmodum igitur Loth metuit mortem, si fugiendum ipse esset in montem, & precatus est, ut Dominus ei parcat pro gratia sua jam ipse exhibita; Ita non dubium est, quin multi fuerint tales occulti fideles, qui quidem egressi ex Sodoma spirituali, tamen ecclesie publicae reformatorum se non adjunxerunt, in occulto vero Dominum precati, ut sui porro miseresceret.

§. Deumque precantur. *¶. 20. Ecce quaso (pergit Loth) hac urbs, quae propinqua est ad fugiendum eo, & ea exigua. Eripiam me ibi quaso, annon parva est, & vivet anima mea.*

Zoar Hebr. *זואר* illud parvum & exiguum repraesentat, quod Deus occultis suis reliquum facit, de quo Eaias: Nisi Jehovah Zebaoth reliquum nobis faceret quasi paucillum, ut Sodoma essemus & Gomorrha assimilaremur. *El. 1, 9.*

§. *Ulatere eos sinat in serpaucos residuos.* *¶. 21. Et dixit ad eum: Ecce accepi faciem tuam etiam hac in re, ut non subvertam urbem, quam dixisti, Festina, eripe te eo; quia non possum facere quicquam, donec eo deveneris; propterea dicitur nomen ejus Zoar.*

Tanta igitur est misericordia Domini, ut propter unum occultum fidelem parcat alicui peccatorum residuo, de quo *Jes. 65, 8.* Sic ait Jehovah, quemadmodum si inveniatur mustum in botro, dicitur, ne perdas illum, quia benedictio in eo est, sic faciam propter servos meos, ut non omne perdam.

Quemadmodum igitur hic exigua ista portio agri Sodomitici fuit conservata precibus Lothi & gratia Jehovah, ita hinc inde in papatu exigua aliqua portio fuit conservata, in quam demigrarunt fideles, & ubi aliquod quasi asylum invenerunt.

§. *Sodoma antichristiana subvertitur.* *¶. 23. Et sol exiit super terram, & Loth ingressus erat Zoar: Et pluere fecit Jehovah super Sodom & super Gomorrha sulphur & ignem à Jehovah è caelo, & subvertit urbes eas, & omnem regionem, & omnes incolas urbium, & germen & terram.*

Sol ejusque exitus super terram, repraesentat egressum solis justitiae per praedicationem verae justitiae fidei per Christum super

terra. Hæc prædicatio justitiæ seu Evangelii orta fuit è tenebris papatus tempore ipso reformationis. Non enim legimus in historiis tales tenebras justitiæ isti divinæ oppositas, unquam fuisse, quam eo tempore, quo justificationis doctrina per fidem prorsus fuit doctoribus ignorata, & ejus loco justifi-
 catio per opera & merita humana hominibus tanto zelo inculcata; Nec unquam fuit tempus, quo veræ justitiæ doctrina tanto fulgore & claritate orbi, post tantas tenebras, iterum illuxit, quam in prædicta reformatione.

Sulphur materiam dicit *facillimè combustibilem*: Ignis iram divinam de cælo pluentem. Explicat utrumque Apostolus Rom. 1, 18-32. Peccata sunt, quæ faciunt hominem ira Dei combustibilem, adeoque illud Sulphur, quod irâ Dei conflagrat & conflagrationem peccatoris excitat, & Esaias: Erit pollens, seu robustissimus quisque, sicut stupa, & opus ejus velut scintilla, & ardebunt ambo una, & non erit extinguens. Es. 1, 31. Imaginaberis tibi forsitan, Lector, hanc *sulphuris & ignis pluviam* terribilem in oculos hominum incurrentem corporalem pœnam & everisionem repræsentare. Verum utut gravissimam, non tamen *corporalem*, sed *spiritualem* pœnam portendit. Quæ autem gravior pœna, quam de qua legimus Ps. 69. 24. *Caligent oculi eorum semper, ne videant, & lumbos eorum jugiter vacillare fac: Effunde super eos indignationem tuam & æstus iræ tuæ assequatur eos: Da iniquitatem super iniquitatem, non veniant ad justitiam tuam: deleantur è libro vitæ, & cum justis non conscribantur?* Hæc horribilis expectatio judicii, & ignis zelus est, qui devorabit adversarios, eos scilicet, qui *Filium Dei* pedibus conculcant, & sanguinem testamenti profanum æstimant, in quo sanctificatur & *Spiritus gratia* contumelia afficiunt Heb. 10, 27. Tum ergo Deus *sulphur & ignem de cælo pluerre facit*, quando ex præsentissima ira iniquitatem dat super iniquitatem, ut homines peccatores fiant adhuc peccaminosiores & sic materia combustioni aptissima, tanquam terra, quæ spinas

nas & tribulos fert, reproba & maledictioni proxima, cujus finis est combustio Heb. 6, 8. Si גפרית א נה & רחת *eminentiam & summitatem trementem* interpretari velis, apprimè conveniet *summitati* illi, quam sibi tribuit caput ecclesie, quod se super omnia extulit & in perpetuo est *tremore*, ne tantò graviore lapsu ruat 2. Theff. 2, 3-8. juxta vaticinium Es. 14, 13. 14. 15. & Matth. 11, 23. Tu ad cœlum usque evehctus es, ad tartara præcipitaberis. Gomorrha א עבר *manipulos colligere quæstus gratia* dicit, eosque notat, qui lucri causa discipulos faciunt, reputantes pietatem quæstum esse. 1. Tim. 6, 5.

Subversio talem subversionem dicit, qua urbs ea, quæ ante fuit domus Dei, domicilium fit diabolorum Apoc. 18, 2. quæ sane maxima & in omni emphasi *subversio* est. Nonne enim ecclesia, antea *Catholica*, declarata est publicè ab ecclesia orthodoxa, quod facta sit *Diabolica*? & caput ejus, quod pro *vicario Christi* fuit habitum, factum & declaratum fuit *Antichristus*, condemnans veritatem evangelicam? *Germen & gramem* omnem sementem bonam dicit. Ex quibus omnibus conficitur, quod

Quemadmodum oriente Sole Loth ingressus est Zoar, & eo tempore Jehova de celo plueret sulphur & ignem, quibus subvertit Sodomam & Gomorrhham & omnem regionem cum omni germine & gramine; Ita etiam, Sole justitiæ, per prædicationem Evangelii, orto, postquam occulti electi egressi ex ea ecclesia, quæ hactenus *mysteriis ad turpe lucrum* abusa erat, in asyla sua ingressi fuissent, Deus de cœlo effudit super Sodomam istam spirituales & Gomorrhham indignationem suam & æstu iræ suæ ita eam *subvertit*, ut ex domo Dei domicilium diabolorum facta fuerit, & ipsi ex peccatis in peccata prolapsæ nihil expectandum, quam ignis Gehennæ. Quâ pœna omnis ejus regio & omnis bona sementis funditus eversa perit.

Dices: 1. Non tantam esse pœnam ecclesie antichristianæ, ut huius pœnæ Sodomiticæ possit comparari, quoniam ad-

huc *sedeat in flore* & omnibus divitiis, honoribus & voluptatibus gaudeat, nec 2. etiam ita sit *corrupta & eversa*, ut omnis *pietas ibidem exulet*. Sed respondeo ad *primum*: Ipsæ divitiæ, honores & voluptates *sulphur* sunt, quibus redduntur ejus civitatis homines ad conflagrandum aptissimi, dicente ipso Jehovah: Ecce hæc erat iniquitas Sodom sororis tuæ: superbia, saturitas panis & tranquillitas quieta fuit ipsi & filiabus ejus & manum pauperis & egeni non corroboravit, sed superbivit & fecit abominanda coram facie mea, quapropter removi eam, simulatque inspexi. Ezech. 16, 49. Ad *secundum*: Ecclesiam antichristianam eam voco, quæ disertè docet *hominem justificari operibus*, Istam enim esse ecclesiæ Christianæ è diametro oppositam docet Paulus variis in locis, præsertim Gal. 2, 16. Rom. 3, 24. 28. & 4, 3. 4. 5. & ipsa ecclesia antichristiana, in suo Concilio Tridentino, non aliam ob causam justificationem per solam fidem anathemate percussit, quam quia suæ justificationi per opera & humana merita esset è diametro opposita. Cum ergò ista ejus justitia per merita sit veræ justitiæ Dei è diametro opposita, est etiam ejus perfecta abnegatio, dicente Paulo: Amisistis Christum, qui per opera vultis justificari, & gratia excidistis. Gal. 5, 4. & 3, 10. Qui ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Ex quo porro sequitur, in ista ecclesia, quæ negat *Hominem justificari gratis Dei gratia per redemptionem, quæ est in Christo Jesu* Rom. 3, 24. idque *fide absque operibus legis* v. 28. nullam esse veram fidem neque ullam veram pietatem, quamcunque habeat externam apparentiam. Quicquid enim non ex fide est, peccatum est. Rom. 14, 23. habens externam formam pietatis, non vero vim seu efficaciam ejus 2. Tim. 3, 5.

Hoc igitur dico, *Omnes eos, qui per opera sua & humana merita remissionem peccatorum, & justitiam quarunt coram Deo, ecclesiam esse antichristianam, & ad eam pertinere, eosque, qui non obstante clarissima veritatis demonstratione, tamen in errore suo*

suo perseverant, & veram doctrinam persequuntur, hocque modo *Filium Dei* in membris suis & veritate sua pedibus proculcant & *Spiritum S.* contumeliâ afficiunt, veram *Sodomam* esse, quos jam *maxima pœna de cœlo* tetigerit, utpote, qui non tantum *scotomate* percussi sint, ut veram *januam* ad vitam invenire non possint, verum etiam *sulphure & igne* ita combusti, ut nihil aliud sint, quam *gehenna aterna torres*, licet externa felicitate tantisper gaudeant. Hinc etiam isti omnes, aut prorsus athei sunt & profani, aut sine fide in conscientia sua ita anxii, & pressi, ut juxta disertam ejus ecclesiæ doctrinam semper de salute sua dubitent & tam gehennam, quam suum purgatorium continuò metuant. In ista autem sive impietate atheistica, sive conscientiæ metu prorsus similes sunt Diabolis, qui in impietate sua persistunt, credentes quidem unum Deum esse, sed in ista sua fide contremiscunt. Jac. 2, 19. Ita è domo Dei domicilium diabolorum facta, & verè *subversa* est Spiritus ista Sodomam.

Quod si porro *infes*: Multos forsan esse in papatu, qui justitiam Dei veram agnoscant & remissionem peccatorum suorum in solo merito J. C. fide quærant & apprehendant, reje-ctis illis Papalis ecclesiæ de meritis humanis, indulgentiis & purgatorio sententiis; quique etiam vitam vivant hac fide dignam. Sed de talibus, ubicunque isti sint, respondeo, quod non accensendi sint isti ecclesiæ antichristianæ, sunt enim, si non corpore, tamen animo egressi, & ita *Lotho* in suo *Zoar* comparandi, quibus clementiam Jehovah subventuram sperare licet. Quemadmodum enim, qui tantum corpore exiverunt, non animo, nihil profecerint; ita qui non corpore, verum animo exiverunt, longanimitati seu patientiæ Divinæ sunt commendandi. Non enim locus, sed animus damnat. Illud ipsum repræsentatur in sequentibus per uxorem Loth.

S. Egressi respicientes ponuntur aliis in exemplum.

¶. 26. Et respexit uxor ejus retrò, & facta fuit statua salis.

Hanc

Hanc uxorem Lothi in exemplum positam iis, qui sub ultimo Christi adventu terrena recuperaturi animam perdunt, testatur Salvator noster nervosè monens: *Mementote uxoris Lothi.* Luc. 17, 32. *Statue* ad diurnam rei memoriam eriguntur. 2. Sam. 18, 18. *Sal* acre est, & cibos, præsertim carnes, acrimoniam suam à putredine conservat. Vide, quæ supra dicta ad Gen. 14, v. 3. Hoc mysticè faciunt exempla punitionis Divinæ, quæ ponit Deus, ne caro concupiscat mala, quemadmodum alii concupiverunt ea I. Cor. 10, 6.

Quemadmodum igitur *uxor Lothi respiciens retro salis status facta est*; Ita etiam nonnulli exeuntes ex Spirituali Sodomâ, verum respicientes, animo ibidem relicto, gravibus pœnis à Deo afflicti aliis in exemplum positi fuerunt, qualis Franciscus Spiera, &c. Nemo enim injiciens manum aratro & respiciens post se, paratus est ad regnum cœlorum. Luc. 9, 62.

§. Fideles
intuentur
plagas.

¶. 27. *Et surrexit Abraham mane ad locum, ubi steteras coram facie Jehovab: Et adspexit versus Sodom & Gommorrah & ad omnem superficiem illius terra regionis illius: & ecce ascendit fumus terra instar fumi furni.*

Fumus signum naturale & indicium ignis est. *Fumum ignis iræ* suæ Deus iis minatur, qui idololatria sua varia ipsum irritantes tamen sanctiores volunt esse aliis, eosque sanctificare, Jes. 65: 1--5. quod in monachos illos aliosque religiosos, qui per opera sua supererogatoria alios sanctificare volunt, apprimè convenit. *Fumus terra* est signum combustionis illius terræ, quæ spinas & tribulos fert. Hebr. 6, 8. Sed *fumus furni* fumus ille abyssi est, de quo Apoc. 9, 2. & 19, 3. *Fumus cruciatus* eorum ascendit in secula sæculorum. *Fumus terra* igitur, qui est *instar fumi furni*, est fumus cruciatus, quo afficiuntur illi, qui jam in terra cruciatibus quasi infernalibus torquentur. Qualis certè est eorum, qui, desperabundi de sua salnte se ipsos variis cruciatibus torquent, ut satisfaciant pro peccatis suis. Hinc

Quem-

Quemadmodum Abraham vidit è regione Sodomæ fumum terra tanquam fumum furni; ita etiam verè vocati inspiciunt istas plagas Sodomæ Spiritualis tanquam præludia pœnarum æternarum inferni. Versari enim istius ecclesiæ antichristianæ membra semper debent in metu purgatorii & inferni, juxta ipsam eorum doctrinam. Et quæcunque opera faciant, ex metu faciunt. *Metus autem non est in charitate, sed integra charitas eicit metum: quia metus supplicium seu cruciatum habet, 1. Joh. 4, 18.* Metum hunc & illos cruciatus vel etiam multas, quas suis injungunt sacrificuli confessionarii, infernalibus similes esse factis apparet ex eo, quod illas irrogent ad satisfactionem pro peccatis. Infernum verò locum satisfactionis esse per se patet.

S. Vocationis intuitu parcit Deus oculis.

¶. 29. *Et factum cum perderet Elohim urbes ejus regionis & recordatus est Abrahami, & emisit Lothum è medio subversionis, cum subverteret urbes, in quibus habitaverat Loth.*

Abraham vocationem nobis repræsentavit hucusque. Quemadmodum igitur Deus recordatus est Abrahami cum everteret urbes & eduxit Lothum ejus intuitu; Ita etiam in subversione spiritualis Sodomæ intuitu vocationis suæ recordatus est eorum, quos sibi prævidit, præordinavit & vocavit Rom. 8, 29. licet peccatoribus implicitorum. Novimus enim diligentibus Deum omniâ ad salutem cooperari, qui ex proposito vocati sunt. v. 28. quippe sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Rom. 11, 29.

S. Quia rem cum suis.

¶. 30. *Et ascendit Loth ex Zoar & habitavit in monte, & due filia cum ipso, quoniam metuit manere in Zoar & habitavit in caverna ipse & due filia ejus.*

Sic multi animo egressi ex spirituali Sodomæ, habitantes tamen adhuc inter residuum illud exiguum, quod non plane perditum, sed eorum gratia adhuc conservatum est, metuumt mox inter tales habitare, vel cum iis communionem habere, ideoque ascendunt ad altiora, volentes fidem suam monstrare in ecclesiâ aliqua visibili; Attamen adhuc circumdati multis in-

firmitatibus iisque *implicati*, & habentes secum paucissimi numeri ecclesiam adhuc infirmiore, lucem verentur & *conferunt se quasi in cavernam*, ibique iterum in *occulto latent*, *cate-roquin immaculatos se servantes à mundo*. Jac. 1, 27.

Tales multos fuisse & in hodiernum diem adhuc esse, qui Christianam fidem de plenissima Christi satisfactione & justitia vera, inter privatos parietes, suis inculcant & ita *exiguam* aliquam ecclesiam faciunt in iis locis, ubi fidem istam publice profiteri non audent, dubium non est. Solantur autem se promissione Christi: Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego in medio eorum. Matth. 18, 20.

§. Et propagant fidem clanculam.

§. 31. *Et dixit primogenita ad minorem: Pater noster senex, & vir non est in terra, qui ingredietur ad nos secundum viam aut morem totius terra. Veni potabimus (v. Cocceji Lexicon rad תרש) patrem vino & cubabimus cum illo, & vivificabimus à patre nostro semen. Et potarunt patrem vino in nocte illa, & intravit primogenita & concubuit cum patre suo & non agnovit in concubitu ejus nec in surrectione ejus.*

Licet polygamia peccatum sit, tamen Apostolus dicit per istam polygamiam *Sara & Hagaris* Deum representasse sancta sua mysteria fidei, istasque uxores duas duo esse testamenta Gal. 4. uti prolixius vidimus Gen. 16. Ita enim ludit Sapiencia Dei in orbe terræ suæ & oblectamentum ejus est cum filiis hominum, (Prov. 8, 31.) ut eorum peccata permittrat, & iis utatur ad bonum finem. Hoc maximè conspicuum factum in historia Josephi & Christi, quorum venditionem & crucifixionem, quæ horrenda fuerunt peccata, tamen permisit, & iis usus est ad bonum finem, Gen. 45, 5-8. & 50, 20. Act. 4, 27. 28. His consideratis nemo finistre explicabit, quod asseram, Deum hunc incæstum Lothi permisisse & in ista historia esse figuram rerum spiritualium.

Supra dictum, *binas filias Lothi* præfigurare duo dogmata de *punitioe* malorum & *remuneratione* bonorum, vel, in concreto, personas hæc duo dogmata admittentes & credentes.

Utra

Utra ex his primogenita sit, in medio relinquimus, quod & textus noster & Apostolus Rom. 2. videtur facere. Sunt, qui per *filias Lothi* mallent *Naturam & Conscientiam* allegoricè designari, Has enim esse, quæ palam offerantur etiam *Sodomitis*, dum *Janua Christi & Spiritus Sancti* ipsis *clausa* remanet; Imò, quoniam has recusant filias, ipsasque à Patre oblatas *cognoscere* dedignantur Rom. 1, 20. jure merito *obscantur*, ne cognoscant Filium & Spiritum Sanctum. Ast, quia ipsa *Natura* est, quæ docet Deum esse Rom. 1, 19. & *Conscientia*, quæ dicitur Eum remuneratorem esse eorum, qui quærunt Eum Heb. 11, 6. Rom. 2, 14. & simul testimonium reddit, cum cogitationibus se invicem accusantibus vel excusantibus in diem illum, v. 15. facilè perspicitur illos ipsos, qui ex *institutione occultorum fidelium natura & conscientia*, credunt, esse etiam eos, qui credunt *Deum remuneraturum bonos & puniturum malos*, adeoque rem eodem recidere. *Pater senex Loth* repræsentat antiquam fidem patrum, sed in *occulto latentem*, ut ipsum nomen *Loth* indicat. *Vinum* est, quod gaudium & læticiam his patribus excitare potest. Ps. 104, 15. Cor autem talium patrum exhilarat, quando filii vel filix promptos & morigeros se præbent ad recipiendum suam doctrinam, testante Salomone Prov. 23, 15. *Fili mi, si sapiens est cor tuum, letatur etiam cor meum, & exultant renes mei, si loquuntur labia tua, quæ recta sunt. Sapiens corde ex ipsius sententia est, quod recipit præcepta.* Prov. 10, 8. *Concipere semen est concipere semen fidei, seu concipere fide Christum, qui x̄. ē. semen est.* Gal. 3, 16. Ex his sequitur:

Quemadmodum *filia Loth* consilium ineunt de vino porrigendo patri suo, ut semen ab ipso concipiant, illudque exequentur, quia nullus vir fuit, à quo conciperent more totius terræ; Ita etiam illi, qui receperunt doctrinam, *Deum remuneraturum cuius secundum opera*, si nullus est, qui ipsos pravis sermonibus corrumpat, inter se colloquuntur, seque invicem adhortantur, ad exhilaranda

corda patrum in occulto instituentium, sapienti auscultatione, ut concipiant ex ipsis semen fidei, Christum scilicet pro peccatis satisfecisse. Hoc hinc inde fieri, ubi tales occulti fideles commorantur & suos privata institutione docent, nulli videbitur dubium.

Quemadmodum autem Loth non agnovit filiam neque ex concubitu, neque ex resurrectione; Ita etiam patribus non innotescit, an verè fideles sint, si fidem suam non ostendunt depositione veteris, & resurrectione novi hominis, quod etiam, pro dolor, sæpe fieri non dubito.

§. Semen verbi illis communi-cando. *v. 34. Et factum postero die, & dixit primogenita ad minorem: Ecce concubui heri cum patre meo, potabimus eum vino, etiam hac nocte & ingredere & concumbe cum eo, & vivificabimus à patre semen, & potarunt etiam ea nocte patrem vino, & surrexit minor & concubuit cum illo, & non agnovit in cubitu nec in resurrectione.*

Ita facile inter se consentiunt, qui credunt Deum puniturum malos, & qui credunt, Deum remuneraturum bonos. Rom. 2, 6. 7. 8. 9. 10. Isti etiam promptissimi sunt ad concipiendum semen antiqua fidei. Fit autem hoc noctu, & quasi furtim, quando metuunt mundi contemptum, opprobria & persecutiones. Hinc etiam ex eorum confessione & vitæ ratione non agnosci potest an verè decubuerit vetus homo & novus surrexerit. Nam inter tales, quos metuunt, solent se mundo conformare, ne internoscantur, contra illud, quod legimus Rom. 12, 2.

Quemadmodum igitur minor filia etiam semen concepit à Patre, & non fuit agnita; Ita quoque illi, qui credunt, Deum remuneraturum bonos, etiam considerantes, quod in bono sæpissimè deficiant, prompti sunt ad recipiendum hoc verbi semen: Christum pro nobis legem implevisse, ejusque perfectam justitiam nobis imputari per fidem, quam etiam Deus in nobis sit remuneraturus; Sed si mundo adhuc conformantur, neque ex decubitu veteris, neque ex resurrectione novi hominis videre licet, an verè filii antiquæ fidei sint. *Concipiunt tamen & vivificant*



eo usque doctrinæ semen à patribus conceptum, ut etiam in partu filius Lothi sint comparandi, uti jam sequitur. Nam

§. *Vi exinde* §. 36. *Peperit primogenita filiam & vocavit nomen eius Moab nascantur populi.*
 i. e. à Patre. *Hic pater Moabitarum in hunc usque diem. Et minor etiam peperit filium, & appellavit eum Ammi h. e. populi mei. Hic pater filiorum Ammon in hodiernum usque diem.*

Moab ab **IN** idem significat quod à patre, quia à patre eum conceperat. Est igitur figura eorum, qui religionem à patribus acceptam vel haustam, ad posteros propagant. Filius Ammi à **MY** idem est quod filius populi mei, estque figura eorum, qui recipiunt religionem populi sui, eamque propagant.

Quemadmodum igitur filie Loth conceperunt à patre semen, hosque duos generarunt filios, à quibus duo populi fuerunt prognati in hodiernum usque diem; ita etiam illi, qui in occulto à patribus suis fuerunt eruditi, illud verbi semen non tantum exceperunt, sed & foverunt & ad posteros propagarunt, ut in hodiernum diem multi sint, qui veræ fidei doctrinam ideo retinent, quia à patribus eam acceperunt, & quia est religio populi sui. Quæ tamen religio, quia nititur sola autoritate humana, nisi accedat interna vocatio, verus Christianismus non est, & nisi accedant opera charitatis, mera Christianismi profanatio.

Sunt qui hunc everfionis Sodomæ typum potius applicandum existimabunt exterminationi ecclesiæ Judaicæ; Sed tenendum hoc est, tantam esse analogiam inter ecclesias istas binas, Judaicam scilicet, & Pontificiam, ut una sit alterius imago. Quemadmodum enim Christus in persona sua & doctrina à Judaica fuit crucifixus, ita etiam Christus in persona fidelium & doctrina sua fuit crucifixus & anathemate percussus à Pontificia. Hinc utraque eandem luit à Summo Numine pœnam, quæ describitur Pl. 109:17. amavit execrationem & venit ipsi, & non voluit benedictionem & longè recessit ab

eo;

eo: Amicivit maledictionem tanquam vestem suam, & intra-
vit instar aquæ in intimum ejus, & instar olei in ossa ejus.
De utraque verum est, quod scribit Apostolus: Testimo-
nium ipsis reddo, quod zelum Dei habent, sed non secun-
dum cognitionem. Ignorantes enim Dei justitiam & pro-
priam justitiam quærentes statuminare, justitiæ Dei non pa-
rent. Christus enim finis est legis, in justitiam omni cre-
denti. Rom. 10, 2. Si enim ex gratia, non est ex operibus,
alias gratia non erit gratia, si vero ex operibus non est ex gra-
tia, alias opus non est opus. Rom. 11, 6. Hinc Deus utrisque
dedit Spiritum compunctionis, oculos non ad videndum, &
aures non ad audiendum, usque ad hodiernum diem: Facta
est mensa eorum in laqueum & in tendiculum & in scanda-
lum & in retributionem ipsis. &c. v. 8. 9.

EPILOGUS.


HAbes itaque, pie atque erudite Lector, lucubrationum
mearum qualecunque hic *Specimen*, ex quo, tanquam ex
ungue, de toto opere judicare turò poteris. Quale enim hoc
est, talia sunt cætera omnia. Unicum nunc est, quod per
Dei gloriam Ecclesiæque ædificationem abs TE peto, ut si in
eo deprehenderis omnium partium *Corporis* cum sua *Umbra*
analogiam, veritatemque Spiritu S. dignam, studio tuo atque
commendatione, operis totius editionem promoveas; sin-
minus, de iis, quæ desideras, fraternè autorem
submoneas.


SOLI DEO GLORIA.




2. Lyserus de Origine Eruditionis.
3. Loscanus Comentationes Sabb.
4. Keoßler de sacerdote comburente vaccam rufam.
5. Horchius Praeco salutis.
6. analysis vocis Schophtim.
7. Hottinger de quatuor tabernaculi tegminibus.
8. Ejusd de usu Salis in cultu Sacro.
9. Schramius de vigilibus praeis.
10. Zashyßer Specimen Bibliorum Stanovicensium.
11. Schudt. Theses Philologicae
12. Benter Specimen Catenae typicae.
13. Hottinger de viris Stationariis.
14. Jochenius de paribz pentecostalibz p. 2da.
15. Haseus de tylo Heniopolitans.
16. Kuirch de Sacerdotio cum regimine civili conjuncto.
17. Ejusd materiae continuas.
18. Morheim de pygmaeis Aethiopiae.
19. Syobius de Sabbato Gentili.
20. Carptov Deus caliginis incola.
21. Strimesius de manipulo hordeaceo.
22. Lampig de Spiritu S.
23. 24. 25. 26. 27. ejusd materiae continuatio.

29. Honorat de auctore Nāre I. Xti humanae
30. Holtefus de Statu humiliationis Xti.
31. Ejuſd de munere Xti ſacerdotali
32. Ode de obedientia Xti activa.
33. Ejuſd animady in Epp: van der Honorat.
34. Ejuſd in epp alteram.
35. Hottinger de Integritate victimarum.
36. Vitringa de Perſeute veteratore.
37. Van Dryſen Epiſt: ad van der Honorat.
38. Claerſenius de Exiſtentia Dii.







(19.)

do & Carni suæ renunciarunt.
Deo seipfos & sacrificia spiritua-
līs, hymnos, eleemosynas, jejunia,
æternum atque internum in Spiri-
tu. 12, 1. 1 Cor. 6, 20. Heb. 13, 15. 16.
23, 24. Pf. 51, 19. Pf. 141, 2.
atio non est temporalis; sed pe-
Christus per proprium sanguinem in-
ta, æterna redemptione inventa. c. 10,
s per oblationem corporis J. C. semel.
e consummavit in sempiternum san-
o. 7, 26. 27. c. 9, 25. 26. 27. 28.
Opposita est doctrina I. Gentilium,
refert Cato l. 4. Disticho mo-

uens moritur cur victima pro Te s
orte alterius sperare salutem.
pudiato Jesu Naz. ejusq; Sacerdo-
eu formula fœderis Remissionem
tam æternam sibi promittunt:
s Orobius in Collat. cum Limborch
ait. p. 70. Nullo Messia, nulla Re-
e aliquando opus habuit ad salu-
equendam: Sufficit Lex Divina,
edium ad salutem Dominus Israeli
ne quam Jesum Nazarenum ceu
que Sacrificium admittere, in
tionis. Viri Gallum gallinaceum
; colore; fœminæ vero Galli-
actare & offerre his verbis:

C 2

הב